

219

217

223

204

213

228

208

268

168

318

118

Ende

Anfang

Andromeda fuerat desponsata, vi voluit eam sibi auferre. Sed Perseus eum devicit, et abiit in Persas, et bello Persidem obtinuit eamque a se denominari fecit. Quod antem Cepheus fuerit rex Joppe, ostendunt antiquissimae (79A) aerae, in quibus veteres ejus titulum repererunt. Ossa vero illius marinae beluae, quam Perseus occidit, erant ingentia, et in litore ante civitatem Joppen jacebant in publico, et advenientibus Joppen ostendebantur. Sed postea per Titum et Vespasianum translata fuerunt inde Romam, et in publico suspensa, propter admirationem, quia erant admiratione digna. Omnes enim costae ejus quadringinta unius pedum longitudine prodentebantur. Porro S. Sylvester et alii Sancti, qui Romam Christo dedicaverunt, illa ossa et alia monstruosa comminuerunt, ne propter talia peregrini illuc venirent, et ne peregrini etiam ob honorem Dei et apostolorum Romam visitantes aspiciendo illa monstruosa tempus perderent, et devotionem amitterent. Sunt alii, qui dicunt, haec ossa fuisse Andromedae Gigantis virginis, quod non videtur, quia Perseus duxit secum Andromedam in Persidem, et ibi finivit vitam, et ad Joppen nunquam rediisse legitur. Josephus dicit, se vidisse catenas et circulos aeneos ingentes in scopolis, quibus Andromeda alligata extitit. Hujus Andromedae meminit Jeronymus saepe, singulariter in superallegato loco, et de peregrinatione S. Paulae. Et Boccatus lib. 12 de genealogia deorum, cap. 25., et Josephus. Canonica etiam scriptura hujus portus persaepe mentionem facit. Nam ad hunc portum misit rex Tyri Hiram ligna cedrina de Libano per mare, et inde tulit ea Salomon et duxit in Jerusalem, pro aedificio templi, ut habetur 2. Paralip. 2. et 1. Esdrae 3. Insuper rex Josaphat fecit in portu hoc classem, ut iret in Ophir insulam propter aurum inde tollendum, sed divino judicio contractae sunt naves, ut habetur 3. Reg. 22. Ad hunc portum fugit Jonas propheta, ut dicitur Jonae 1. Et ascendit hic navem, ut fugeret in Tharsis, id est in Africam, in civitatem Charthaginensem, quam Jeronymus dicit nuncupari Tharsim et dum extra scopulos venisset intumuit mare. Unde libenter reingressi fuissent portum, sed non poterant quicquam proficere, nisi Jona in mare misso, quem piscis devoravit, cumque post triduum ad litus Joppe evomuit. Hunc